

Sanctis

90

tangendi. Et licet virginitatem in corpore pauci habeant virginitatem tamen in corde omnes fideles habere debent. ut dicit Augustinus. Virginitas autem cordis fides est incorrupta ut idem asserit Augustinus. Et vere hec in paucis mulieribus inuenitur. Vix enim est aliqua mulier nisi veram fidem coeruperit per sortilegia et alia muliebria medicamina et psagia in quibus crederent mulieres et asserunt. Quod igitur quilibet spiritualiter est virgo et prudens virgo ut bona viriliter agat virgo enim dicitur quasi viriliter agens. Debet etiam esse prudens ut ea bona que facit faciat pro eterna mercede unde dicit glossa. Prudentes quod voluntate veritati seruiunt pro eternis.

Debet etiam quilibet christianus ut prudentibus virginibus assimilet lampadem ardentem habere. Septem vero sunt circa lampadem consideranda. Primum est ut lampas sit ex vitro perlucido. Secundum est quod lampas inferius est clausa et angusta sed superius aperta et ampla. Tertium est quod oleum infunditur. Quartum est quod lignus imponitur. Quintum est quod igne accenditur. Sextum est quod cauetur ne frangat et oleum effundat. Septimum est quod etiam cauetur ei a vento ne lumen eius extinguatur.

De primo nota quod per lampadem fides christiana figuratur. Fides enim similis est vitro perlucido. Per fidem enim nunc deum videmus sicut per speculum et in enigmate tunc autem videbimus eum facie ad faciem sicut apostolus. 1. ad Cor. 13. et certe fides non relinquit hominem qui eam sequi voluerit nisi perducatur eum illuc ubi deum clarissima visione contempletur. Ibi etiam fides nomen suum mutat que enim hic vocatur fides illic appellatur apta cognitio. Secundo lampas inferius est clausa et angusta sed superius aperta et ampla. Sic et fides temporalibus que infra sunt non inhiat huiusmodi que supra nos sunt. Unde dicit Augustinus. Qui veram de deo fidem habent non cupit in miseriis huius mundi esse diues nec plurius est ei mundus quam deus. Videtur ergo quod pauci vel nulli habeant fidem qui tam avari sunt circa templa congreganda siue hoc sit per phas siue nephas. Tertio oleum lampadi infunditur. Per oleum intelliguntur bona opera et elemosine que debent fidei infundi quia fides siue operibus vacua est et mortua. Bona quippe opera sunt quasi anima fidei que eam viuificant sic anima viuificat corpus. Unde dicit Iacobus. 2. si fides si non habeat opera mortua est in semetipso. Sic enim corpus sine spiritu mortuum est ita et fides sine operibus mortua est. Quarto lampadi lignus imponitur per lignum bona et recta intentio figuratur. Nihil enim bonum opus valet nisi bona et recta intentione fiat. Nunquam etiam per oleum domus commode utiliter illuminetur nisi lignus imponeretur. Unde dicit dominus Mat. 6. Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit. Per oculum

1^m circa lampadem

2^m

3^m

4^m

5^m

6^m

7^m

Nota primu.

1^a Cor. 13.

2^o

3^o

4^o

5^o

6^o

7^o

8^o

9^o

10^o

11^o

12^o

13^o